

~~7~~
Q. D. B. V.

EX METAPHYSICIS
E N S,

PRAESIDE

DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO,
Logicæ & Primæ Philosoph. Profefs. Publ.
celeberrimo,

*Publicæ Philosophantium disquisitioni
submittit*

CASPARUS BECKH
Onoldo Francus.

Ad diem 9. Octobris, Anno MDC LXI.

In Auditorio Majori

Horis matutinis.

Wittebergæ Typis Johannis Borckardi.

Coll. diss. A
226, 46

Diss. A. 226. (46)

PHYSICIS

2 M E

VERBODEN

PHYSICIS

PHYSICIS



PHYSICIS

PHYSICIS


PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS



*Propyleum.*

Duplici eoq; fatali, illud θαῦμα θαυμάτων & mundi epitomen post impiam ab Architectore suo defectionem, laborare morbo, veri nimirum ἀγνοια & appetitus ἀταξια communis Doctorum sermo est, ipsa ratio edocet, comprobat veritatis meridies, experientia. Quorum ille gravior est, quia hicce, illo nisi prius sublato, curam planè nullam admittit. Qui enim quid bonum sit ignorat, quomodo illud appetere potest? Quare imprimis allaborandum sedulo est, ut illas ignorantia nebulas queis velut nube quâdam & tempestate stipamur, omninò depellamus. Nam profectò, ut in cæcâ nocte omnis itio error est, nisi tedæ tenebras vincant, viam distinguant; sic vita mors est, quæ vanissimis curis & cogitationibus fluctuans, salutare rationis lumen ignorat. Hoc igitur accendendum est, ut densissima ignorantia nebula propellatur. Hoc verò utilissimum sapientia studium & nunquam satis laudatam Ontosophiam aliàs communiter Metaphysicam dictam præstare, omnibus notum est; Hæc enim illa fax est, quæ intellectus nebulas propellit, mentem illustrat, hæc nos à gravi ignorantia morbo liberat. Quæ cum ita sint, uti reverà sunt, non sanè frustra erimus, dum impræsentiarum nobilissimæ huic disciplina aliquid operæ impendentes, ejus quasi basin ac fundamentum Ens nimirum ejusque naturam quidditativam sub disputationis incudem revocare allaboramus. Quod ut feliciter cedat, faxit Ens entium, universi Conditor, Deus Gloriosus!

A 2

SECTIO

SECTIO I. THEOREMATICA

Theorema I.

Ens est quod habet essentiam veram, realem & positivam in se & per se.

§.1. Communissima hæc a quod Autores ratio obtinet, ut qui in natura entis penitus rimanda versantur, duplici ens modo considerent, absoluto & respectivo, unde duplex quoque ejusdem Entis descriptio nata est, una quæ naturam entis universalissimam sistit, in quantum ea ab omnibus inferioribus essentialiter participatur: Altera quæ ens in relatione, seu pro ut intellectui objicitur considerat. Horum vestigijs nos hoc loco incedentes, eam primo loco ponimus descriptionem, quæ communem essendi rationem, quam inferiora participant, nobis exhibet, eamque juxta communem in rebus tractandis ordinem resolvimus in nominalem & realem.

§.2. Circa nominalem ante omnia notanda venit etymologia. Est verò vocabalum entis originatione participium, quod descendit à verbo substantivo sum. Ens ergò Latinis idem est, quod Grecis τὸ ὄν; sicut enim τὸ ὄν est participium à verbo substantivo εἶμι: Ita ens originaliter descendit à participio verbi sum. Verùm observandum hic est, quod hæc vox à prima significandi origine aliquantum recesserit; participia enim cum juxta grammaticos adjectivorum rationem habeant, & omne adjectivum quâ tale concretum sit, usu tamen venit, ut apud scriptores præsertim metaphysicos nominaliter & substantivè usurpetur, qui & hac in parte Græcos imitantur, quibus τὸ ὄν sæpius nominaliter & substantivè ambulat.

§.3. Malè verò hanc vocem exagitant delicatuli quidam Ciceroniani, qui eandem pro barbara & obsoleta venditare non dubitant, satis ineptè! Nonne enim res quasi infinitæ sunt; ubi è converso vocum penuria deprehenditur non exigua, unde necessitas non rarò cogit Philosophos, ut noviter effingant vocabula, quibus abstrusiores res eloquantur, ne perpetuò homonymijs uti cogantur, quibus interdum fit, ut non magis dispu-

tato-

A

tatores se mutuò intelligant, quàm Babylonicæ turris structores; Deinde hoc quasi regali gaudet Philosophus, ut quod Reges non possunt, ipse dictionem civitate donare valeat, quod rigidi illi vocum censores omninò animadvertere debuissent. Meritò igitur philosophi pro libertate philosophicâ vocem hanc à sapientibus introductam retinent.

§. 4. Cum autem vox entis ex eorum numero sit, quæ πολλὰ ἢ ὀλίγα significant, sic enim Damasc. dialect. cap. 2. τὸ ὄν κοινὸν ὀνομαζέσθαι πάντων τῶν ὄντων. Et scitè Arnifæus tam latè patere ambiguitatem entis 4. metaph. cap. 2. inquit, ut etiam ad æquivocationem degeneret. Ne igitur ambiguitas ejus nobis imponat, breviter eandem evolvemus. Accipitur verò vox entis variè & quidem primò latissimè, pro omni eo de quo aliquid ènuntiari potest, & hoc sensu omnia entia rationis, negativa & privativa sub ente comprehenduntur. Unde Aristot. 4. Metaph. cap. 1. etiam non entia vocat entia. *Secundò strictissime*, & quidem 1. *sensu perfectionis*, & Ens infinitum saltem denotat, quomodo solus Deus verè ens est. Sic enim Hieron. Epist. 4. scribit, *quæ creata sunt, & si videntur esse, non sunt tamen quia aliquando non fuerunt, & possunt rursus non esse, ut non fuerunt, Deus solus qui æternus est essentia nomen verè obtinet.* 2. *Sensu imperfectionis & concretivè* sumitur pro eo tantum, quod essentiam tanquam aliquid à se diversum habet, quo sensu Deus ens dici nequit: *Tertio, vel adjectivè, vel substantivè accipitur.* Illo modo est notio concreta & coincidit cum ente sensu imperfectionis sumto. Hoc modo est notio abstracta, & ἡ ἀπὸ τῶν ἰδίων idem quod essentia, quod accurratè Suaretz. lib. 1. disp. 2. ita exprimit: *Ens vi nominis sumtum significat id, quod habet essentiam realem, præscindendo ab actuali existentia, non quidem excludendo eam, aut negando, sed præcisivè tantum abstrahendo, quæ significatio propria & hujus loci est.*

§. 5. Hactenus vocabulum entis ab ambiguitate liberavimus, recto itaq; pede progredimur ad Synonymiam. Sunt autem Synonyma entis plurima, & dividuntur in *absoluta & respectiva*, seu ut alij efferunt, in *Grammatica & Metaphysica.*

Illæ sunt quæ simpliciter & sine ullo respectu cum ente coincidunt. Hæc quæ ad significationem entis respectum aliquem superaddunt. Prioris generis tria sunt *Essentia, Res, & Aliquid*. *Essentia est id, quod res est in se*, estq; planè eadem cum ente. Ens enim nobis hoc loco non adjectivum, seu modum significandi in concreto; sed in abstracto ipsam essentiam denotat. Uti verò ens, ita & essentia ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων est, & variè usurpari solet, uti videre est apud Suarium, D. Jac. Mart. B. Scharff. Dn. D. Calovium & alios.

§. 6. Quod de essentia diximus, idem quoq; de *Re* manifestum est, licet hæc in parte Avicennæ in contrarium abire placeat, qui ens & rem ita distinguit, ut res essentiam præcisè significet, ens verò existendi actum connotet, nobis tamen communis loquendi usus magis arridet, juxta quem res & ens non nisi nominatione differunt, unde fit ut eadem cum ente ambiguitate laboret. Usurpari enim solet 1. *Latissimè*, pro omni illo de quo aliquid dici potest, & hæc acceptio nititur originatione illa quando res (uti Armand. de bell. vis. tract. 2. explic. term. cap. 14. annotat.) à verbo reor in præsentis sumto derivatur. 2. *strictissimè* & solum ens infinitum designat, observante D. Calovio Metaph. divina. 3. *Propriè* pro essentia rata & firma seu ente vero & reali, & sic acceptum à participio ratus verbi reor derivari communiter dicitur.

§. 7. Idem statuimus de voce *Aliquid*, parum attendentes quid hæc in parte contra disputent alij, quorum argumenta suo loco videbimus. Duplex verò hujus vocis derivatio apud Auctores prostat: Armand. de bello visu tract. 2. expl: term: cap. 33. itemq; Javellus lib. 4. Metaph. quæst. quæst. 6. & qui cum eis faciunt aliquid dictum volunt quasi aliud quid, ita ut juxta hanc derivationem aliquid divisionem entis ab alio notet. Verior autem & magis consentanea *Præceptorum nostrorum Honoratissimum* sententia est, quibus aliquid idem est, ac habens aliquam quidditatem. Et hanc sententiam ipse conceptus noster confirmat; Quam primum enim audimus vocem aliquid, non formamus conceptum distinctionis unius ab alio, sed potius
rem

63.

rem concipimus quæ non est omninò nihil, quæve aliquam habet quidditatem. Unde patet quod aliquid cum ente coincidat, hinc uti ens varijs sumitur modis latè & strictè, sic & aliquid. Primò enim in lata significatione etiam non entia comprehendit, ut Fonsæca habet lib. 5. Metaph. cap. 1. Secundò aliquid accipitur Logicè & est nota particularitatis. Tertiò sumitur propriè & notat illud quod aliquam quidditatem habet, & hoc modo à nobis sumitur & opponitur non enti seu nihilo.

§. 8. Prioris classis Synonyma vidimus, sequuntur respectiva & quæ posteriorem classem constituunt, suntq; potissimum *Existencia, natura, forma, quidditas, terminus*. Existentiam Synonymum entis respectivum esse inde patet, quia ad significationem entis alium addit respectum, qui est extra causas esse positum, sive ex illis emerferit, sive in illis nunquam fuerit. Idem ens alio saltem respectu appellatur natura, scilicet pro ut principium operationis subinfert. Forma etiam est synonymum entis respectivum, ubi non intelligimus formam physicam quæ aliàs forma partis vocatur, sed Metaphysicam quæ forma totius dici solet, estq; nihil aliud quàm ipsa essentia, quatenus scilicet per essentiam res est id quod est. Porrò illa ipsa essentia dicitur quoq; quidditas, adhibito duntaxat respectu quodam, quâ nimirum objicitur intellectui & quid sit, cognoscitur. Deniq; recensetur etiam in hac classe terminus, & significat Ens cum respectu ad cognitionem nostram, pro ut illa, quæ, juxta Aristotelem lib. 7. Metaph. ab accidentibus incipit, in essentia ultimò terminatur, ita ut eò pervenientes subsistere cogamur.

§. 9. Ex his modò adductis entis synonymis, originem suam licet mutata paulisper significatione traxerunt illa derivata, quæ aliàs cognata entis dicuntur, ut sunt *essentiale, reale, naturale, formale*. Essentiale notat id quod ad essentiam rei spectat, vel ut constituens, vel ut consequens v. gr. essentiale constitutivum hominis est anima rationalis, consequens docilitas, risibilitas. Reale dicitur quod revera in ipsis rebus datur citra intellectus operationem

nem

nem. Sic entia realia sunt homo, canis, mensa &c. Notandum verò hic est, quod licet ens & res æquipolleant non ita tamen eorum derivata, siquidem reale & essentielle differunt ut latius & angustius, ita ut rectè dixerim, omne essenziale est reale, non verò omne reale est essenziale. Naturale est quod à natura & in natura est. Sic naturalia sunt aër, aqua, qualitas, quantitas. &c. Formale est quod rem ultimato constituit, & ab aliis omnibus distinguit. Sic rationalitas formale hominis est, indivisio unius. Et hinc descendit ratio formalis, nec non terminus formaliter, qui variè à variis usurpari solet. Vide B. Scharff. Metaph. exempl. Metaph. div. Dn. D. Calovij aliosq; fusius hæc persequentes.

§. 10. Deinde quando ens diximus esse illud, quod habet essentialiam non putandum est, nos in ea versari opinione, ac si reale aliquod inter ens habens & essentialiam habitam discrimen esset. Repugnat enim hoc summæ entis simplicitati, repugnat ipsi Deo. Proinde ens describitur per τὸ habere essentialiam, non secundum ipsius rei conditionem, sed ex modo concipiendi nostro. Nam licet ens omnis compositionis expertus sit, intellectus tamen noster ob summam imperfectionem suam simplicia non nisi ad modum compositionis concipit; Quare ex necessitate intellectationis nostræ ita loquimur, *Ens est quod habet essentialiam*, ut tamen inde non notetur discrimen aliquod secundum rem, uti etiam in alijs præsertim ubi de Deo res est, loqui amamus. Et quamvis idem videatur per idem declarari, tamen nos contentos esse oportet, quia in his abstractissimis unum terminum transcendententalem per alium explicare cogimur, nec Synonymia statim ταυτολογίαν quandam infert. Loquimur igitur non ut volumus, sed ut possumus, descriptionemq; hanc quia meliorem non videmus, meritò retinemus.

§. 11. Cœterum τὸ habere essentialiam realem, duplicem subire expositionem, & vel negativè, vel positivè verti solet. Illo modo licet minus congruè per nudam non repugnantiam exponit Arriaga. Hoc modo essentialia realis declaratur ab effectu, quod

quod sit principium & radicale primum omnium operationum & proprietatum. Deniq; quando in nostra descriptione addimus; *Ens est quod habet essentiam realem, positivam in se & per se*, hoc modo removemus entia privativa & negativa, item entia rationis & quæ per accidens talia sunt, hæc enim omnia ab ente quod hoc loco descripsimus, longè aliena sunt.

Theorema II.

Ens est generalissimum illud, quod primò intellectus noster tanquam notissimum concipit.

§. 1. Quemadmodum antecedens descriptio sistebat rationem entis communissimam, pro ut ea ab inferioribus essentialiter participatur: Ita hæc nobis exhibet ens in relatione ad mentem nostram, & abstractè consideratum, unde hæc descriptio inferioribus entis nunquam applicatur. Duo autem Autores in ea communiter notare solent, materiale scilicet & formale. Materiale est rò generalissimum esse, siquidem omnia quæ extra nihil constituta sunt entis nomine veniunt, adeoque generalissimus hic conceptus, ipsum ens quidem constituit in ipsa relatione ad mentem, ita ut ad huc latius sit quoad conceptum nostrum, quia & affectiones entis generalissimæ sunt. Quare in illo modo concipiendi nostro, quædam quasi formalis ratio sese offert, quâ Ens constituitur in esse & ab aliis distinguitur, estq; rò primò cognitum esse. Hoc enim acquisito statim mens habet & concipit ens.

§. 2. Huc faciunt quæ aliàs Autores hoc loco plerumq; de conceptu entis duplici, objectivo & formali tradere solent. *Objectivus* entis conceptus describitur, quod sit *ipsa natura entis non hæc vel illa in particulari, sed quæ à conditionum individuantium concretionem liberata, omnibus communis est, in quantum ea intellectui objicitur. Formalis, est imago seu species ab intellectu agente in mente formata, communissimam illam rationem in qua omnia entia conveniunt representans.* Uterq; conceptus verò unus est, objectivus quidem unitate rationis tan-

B tum

tum, formalis verò non tantum unitate rationis, sed & rei. Quod prolixè probatur à B. D. Jacob. Mart. in Partit. Metaph. B. Scharff. in Theoria transcend. & D. Calovio in Metaph. div. Quare eadem, quia prolixa sunt, hîc loci repetere facilè supersedemus.

Theorema III.

Dantur distinctiones entis latissime accepti & varij modi essendi inuentes æquivocationem entis, suntque *complexum & in complexum reale & rationis & c.*

§. 1. Absolutâ descriptiva entis consideratione, ad! distinctivam ejusdem contemplationem nos accingimus, quam quia magna entis varietas est, & distinctus essendi modus, evolve-re operæ pretium putamus, quò minus nobis in theoria entis versantibus varietas illa aliquo modo imponere queat. Ens ergò primò est vel complexum, vel incomplexum: *Complexum est, quod multos gignit conceptus, ut paries albus. Incomplexum quod unum tantum conceptum gignit, ut ens, corpus, homo, animal.*

§. 2. Deinde ens incomplexum vel est reale, vel rationis. *Illud est quod verè esse obtinet, nobis etiam non cogitantibus. Sic entia realia sunt Deus, Angeli, homines. Hoc est quod à ratione cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat, qualia entia sunt, Cerberus, Chimera, purgatorium.* Illud propriè hujus loci est, hoc non nisi indirectè & per accidens. Ens reale aliud est *per se*, aliud *per accidens*: *Ens per se est, quod non constat ex pluribus accidentaliter unitis ut Spiritus, homo. Ens per accidens est, quod accidentaliter ex pluribus rebus compositum est, ut homo doctus.* Illud hujus loci est, non hoc.

§. 3. Porrò Ens vel est *positivum*, vel *privativum*. Positivum est, quod veram entitatem in rerum natura sine complexione defectus ponit, ut Deus, visus. Privativum est, quod dicit negationem essentia veræ ac positivæ in subjecto habili, ut cæcitas, surditas. Tandem ens distinguitur in ens *actu & potentia*. Ens actu

actu

67
actu est, quod *extra causas in rerum natura verè existit*, ut cœ-
lum, terra. Hoc, nimirum ens in potentiâ est, quod *intra causas*
suas adhuc latitat, & nudam non repugnantiam existendi denotat,
ut homo post annum nascendus. Non hoc, sed illud hujus
loci est.

Theorema IV.

*Oppositum entis est non ens & opponitur enti
contradictoriè.*

§. 1. Explicatâ entis natura descriptivè & distinctivè
considerata, transitur ad ejus oppositum, quod est non Ens.
Ubi tamen præmonemus & fatemur, non ens accuratè loquen-
do hujus considerationis quidem non esse, verùm tantum per
accidens & indirectè tractationem de eo institui, ut de ente ve-
ro & reali eo certiores simus, secundum illud πολυθεύλητον;
Opposita juxta se posita magis elucescunt. Hoc præsupposito di-
cimus quod non ens enti contradictoriè opponatur. Ubi sci-
endum, quod sicut vocabulum entis ambiguum est, pari rati-
one & non ens æquivocatione laboret; sumitur enim variè 1.
Non ens accipitur *pro mutabili, generabili & corruptibili*, quo
sensu omnes creature non entia dicuntur, & ita eas appella-
runt Platonici, unde Ficinus in Plat. Parm. cap. 2. ait, *ens tempo-
rale quodammodo esse non enti per mixtum.* 2. Non ens aliquando
dicitur illud, quod *habet esse diminutum & imperfectum*, quo-
modo non entia dici solent accidentia, item materia prima Pe-
ripateticorum. 3. Accipitur pro eo quod *penitus nihil*, ut hoc lo-
co, & opponitur enti contradictoriè.

§. 2. Huic non enti in postrema significatione accepto æqui-
pollet Nihil, secus ac Timplenus, Stahlius aliq; contendunt.
Sicut verò non ens, similiter & nihil variè usurpari solet. 1. *Pro
eo quod non est*, & sic hoc loco, ac contradistinguitur enti. 2.
Syncategorematicè, prout in Logica signum particularitatis est,
& explicatur per nullum, seu nullum ens. 3. *Pro vano, inani &
abjecto.* Ab alijs aliter accipitur, estq; vel privativè vel nega-
tivè tale. Illud est quod ratione subjecti est aliquid, ratione
verò propriæ formæ est non ens, & dicitur nihil privativum, ut

cæcitas in homine. Hoc nec ratione formæ nec ratione sub-
jecti aliquid est, & dicitur nihil negativum, estq; uti dictum
cum non ente idem.

SECTIO II. PORISMATICA

Porisma I.

Ens non dicit defectum, sed excellentiam.

Quo quid magis enim ens est, eò excellentius, eò magis
quoq; à defectu & imperfectione elongatum est, & è contrario
quo quid magis ab esse recedit, eo majorem arguit imperfecti-
onem. Unde Deus quia omnium maximè ens est, ita quidem
ut non possit non esse ens perfectissimum, ens quoq; excellen-
tissimum est. Creaturæ verò quia à potentia procedunt in
actum, tantâ essentiæ excellentiâ non gaudent, sed potius re-
latæ ad creatorem, aliquo modo non entia sunt.

Porisma II.

Unius rei una est essentia, una natura.

Scilicet unum & idem ens in quantum unum, unum ha-
bet essentiam completam, specificam. Aliàs unum ens plu-
res in se continet essentias in completas v. gr. Homo est u-
num ens, & unam habet essentiam specificam, interim dividitur
in animam & corpus, tanquam partes essentielles, quarum u-
traq; peculiarem & propriam habet existentiam & essentiam,
scilicet incompletam.

Porisma III.

Res antequam existit nihil est.

Existentia enim omnibus rebus est intrinseca & essentialis; i-
mò nullibi potest inveniri essentia absq; existentia, sed mens
saltem hæc duo distinguit. Sic essentia humana absq; existentia
nullibi est, sed mente saltem à Petto, Paulo & cæteris individuis
actu existentibus, abstrahitur. Quod ulterius ex inde proba-
tur, quia omne ens aut est actu, & ita actualem habet essenti-
am, aut potentiâ; verùm inter ens actu & potentiâ tale discrimen
est, quale inter ens & non ens. Ergò ut ens sit ens,
oportet actualem habeat essentiam, ideoq; existentiam. Es-
senti-

senti-

69
sentia enim quæ actu est formaliter & intrinsecè includit
existentiam, per illam enim statuitur ens actu & distinguitur ab
ente in potentiâ,

Porisma IV.

Ens rationis est non ens & nihil.

Scilicet in se & quoad conceptum objectivum. Quicquid enim nullo modo habet essentiam illud est non ens. Atqui ens rationis quatenus tale, nullo modo habet essentiam. Ergò. Nam objectivè tantum esse, non est verè esse, seu essentiam habere; sed cogitari, aut fingi. Non tamen nihil est quoad conceptum formalem, cum enim in modum veri entis concipiatur, hic autem conceptus existat in intellectu, tanquam in subiecto, non potest non reale ens esse.

Porisma V.

Ens & non ens primam contradictionem important.

Ens primò cognitum esse dictum supra est, ergo quod ipsi contradicit prima contradictio non inscitè à B. Scharff. in theor. transf. dicitur. Jam autem esse & non esse simul apertissima contradictio est, ad quam ceu normam reliquæ omnes revocandæ sunt, undè oppidò liquet, ens & non ens primam importare contradictionem.

SECTIO III. PROBLEMATICA.

Problema 1.

An Ens perfectè definiri possit?

Negativam uti in sectione prima theor. 1. nostram fecimus; Ita & hoc loco eandem defendendam suscipimus, cum absurdum sit, summum ac generalissimum in rerum natura, quo cuncta appellantur & in quod cætera omnia resolvuntur accuratè per superius definiri posse. Frustra ergò Timplerus est, qui affirmativam tenens rejectis aliis omnibus philosophorum descriptionibus, solus accuratam entis definitionem pollicetur. Verùm tantum abest ut hæc ipsius sententia vera sit, ut è converso potius meris iisq, falsis nitatur hypothesi-

B 3

bu-

bus, quas si negaveris, uti omninò negandæ sunt, omnis Timpleri disputatio gratis adducetur. Unde non immeritò eadem à B. Jac. Mart. in part. Metaph. D. Christ. Matthiæ in disp. Met. Jam dudum explosa est, quo nomine neq; hic loci eandem pluribus urgemus.

Problema II.

An ens & aliquid sint Synonyma?

Variè eaq; dissentientes hac de re passim apud Autores sententiæ extant. Negativam cum Timplero, Stahlio aljisq; plurimis defendit Clariss. Danhauerus, qui explic. term. art. 1. Aliquid esse latius ente exinde statuit, quod omne ens sit quidem aliquid, sed non contra, cum & non ens aliquid sit. Verùm Respondemus & dicimus: Aliquid à Fonseca lib. 5. Met. non entibus quidem tribui, sed planè improprie, quare eandem ex foro metaphysico relegamus, statuentes aliquid non enti nullo modo attribui posse; Dum enim asseritur non ens esse aliquid, eo ipso statuitur non ens habere aliquam quidditatem, (sic enim aliquid à nobis & ab ipsis adversarijs quoq; pro ut hujus loci est definiri solet) si hoc, non ens erit ens positivum, quod absurdum cum impossibile sit idem simul esse & non esse. Timplerus aliquid facit genus entis, quod quam absurdè dictum sit ex prioribus apparet. Ut autem hanc absurdam sententiam suam obtineat, falsò præsupponit 1. Intelligibile esse latius ente, cum entis potius affectio quædam & eo ipso ente posterius sit. 2. Falsò intelligibile in aliquid & nihil tanquam Species unius generis dividit, quæ tamen contradictoria sunt & genus non dividunt, sed tollunt; unde eadem qua adductæ sunt facilitate has ipsius hypotheses rejicimus, ut ita opus non sit diutius jisdem immorari Vid. Jac. Mart. part. Metaph. lib. 1. sect. 1. quæst. 11. nec non in exerc. Metaph. 1. B. Scharff. theor. transc. p. 68. D. Christ. Matth. Disp. 3. Meth. disq. 7. p. 102. 103. seqq. Stahlius & ejus asseclæ nostram ut evertant sententiam, hoc præcipuè in surgunt argumento; *Quæ sunt simpliciter idem, eorum opposita quoq; simpliciter idem sunt. At qui opposita entis & alicujus non sunt simpliciter idem, Ergò neq; ens & aliquid.* Minorem ut probent, adducunt illud poetæ: *Nil est*

est

est ab omni parte beatum. Item illud philosophi: Nihil est causa sui ipsius. Si igitur, inquiunt, nihil cum non ente esset idem, sequeretur, quod non ens esset ab omni parte beatum, sequeretur quod non ens esset causa sui ipsius, id quod absurdum. Respondemus ad hoc argumentum, & quidem 1. Ad majorem per instantiam: In physicis communiter ut synonyma proponuntur corpus & substantia materialis, non ita tamen æquè latè patent opposita, unde ventus dicitur quidem spiritus, sed non immaterialis substantia. 2. Ad minorem & ejus probationem distinguendum est inter τὸ nihil categorematicè & syncategorematicè acceptum, illo modo sumtum idem est, quod non ens & sic ei contradistinguitur ly aliquid: Hoc modo & syncategorematicè accipitur in allatis exemplis, atq; exponitur per nullum ens, & in Metaphysica locum non habet, unde contra nos non pugnat. Relinquitur ergò nostra sententia, quâ statuimus, quod ens & aliquid synonyma sint.

Proplema IV.

An ens & essentia synonyma sint ?

Ens & essentiam nullatenus differre, sed planè ἰσοδυναμῶντα esse, è supra dictis constat. Verùm enim verò non desunt & hoc loco qui à nobis in contrarium abeant, præsertim sæpius allegatus Timplerus ejusq; mancipia & defensores, qui pro stabilienda sententia sua sequentes adducunt rationes 1. Inquiunt, ens & essentiam differre, quia sunt species ejusdem generis opposita. 2. Quia definitione inter se differunt. 3. Quia ens est concretum, essentia verò abstractum. Verùm Responsio facilis est, dicimus itaq; ad 1. rationem, eam falsissimam esse, & contra ipsum Timplerum pugnare, qui in definitione entis essentiam differentia loco ponit. Jam verò notissimum est, nullam speciem per alteram oppositam citra absurditatis notam definiri posse, quia se invicem tollunt, adeoq; Timplerus egregiè fallit. Ad 2. itidem negando; Essentia enim communiter & juxta philosophum describitur quod sit id quod est. lib. 1. phys. 17. & eam descriptionem passim applicat enti, ut rectè Suarez

retz

rez disp. 2. Met. sect. 4. num. 1. observat: Item describitur quod sit id, quod esse reale habet; ast quid obstat, quod minus eandem enti quoq; applicare possis. Ad 3. dico, accuratè distinguendum esse usum grammaticum à metaphysico, non distiter quidem ens grammaticis concretum sonare, non idem tamen Metaphysicis, qui non tam etymologiam, quam usum hujus vocis Metaphysicum spectant. Aliàs enim Ens infinitum ex Metaphysica tollendum, aut aliqua realis in Deo compositio astruenda foret, quod tamen simplicitati divinæ repugnat. Manet ergò nostrum assertum, quo ens & essentiam Synonyma esse contendimus.

Problema V.

An ens in potentia, verum & proprie sic dictum ens sit?

In limine hujus problematis ante omnia è superioribus, entis in potentiâ descriptio repetenda est, & dicitur illud, *quod intrâ causas suas adhuc latitat, & nudam non repugnantiam existendi notat.* Inde quicquid alij contra disputent, negativam nostram facimus, eamq; stabilimus sequentibus argumentis:

1. Ex entis veri & proprie sic dicti descriptione sic inferimus: *Quicquid non habet essentiam realem, actualem & positivam, illud est non ens: Atqui ens in potentiâ &c. Ergò.*

2. Ex communi Metaphysicorum consensu, qui omne ens vel causam vel causatum esse dicunt. Neutrum de ente in potentiâ verum est; Non illud, quia uti notum, si causa agere debeat actu sit necesse est; Non causatum, quia eo ipso, dum causatum atq; productum est actu, non amplius in causis producendum latitat.

3. Sic argumentamur: *Posse esse, non est esse. Ens in potentiâ potest esse, Ergò non est.* Et per consequens non est ens. Multa sanè possunt esse, quæ non sunt, adeoq; nec entia sunt, ut ut possint esse, unde vulgaris illa regula: *A posse ad adesse non valet consequentia.* Unde satis firmam putamus nostram assertionem, ita ut quæ in contrarium disputant adversarij, facili negotio destrui possint.

TANTUM!

Deo Itaque, Enti perfectissimo Sit gloria.

coll. diss. A. 226, univ. 46